

*posse existimemus, sed potius certi sumus, participes esse Regni cœlorum & frui donis gratiæ applicatrici. Quæ de causa v. 10. illo contemptu severe interdicit Salvator & rationem duplicem addit, alteram petitam ex eo, quod Angeli infantum semper videant faciem Patris cœlestis in cœlis, adeoque curam gerere ipsorum tenerrimam jubentur: alteram ex eo, quod Filius hominis venerit, ad salvandum id, quod sit amissum: ut sic credamus, eum Puerulorum & Infantum peculiarem habere rationem, & quæ ad salutem adipiscendam pertinent, mediâ, non saltem liberaliter illis, æque ac aliis hominibus & adultis, offerre, verum etiam conferre, quicquid ad istum finem in illis subjectis proportionatum esse deprehendit. Jucundum igitur est, meditando intueri, quænam illæ functiones sint, quas Spiritus S. in cordibus tenellorum talium suscipiat, quosque effectus producat. Et quamvis indaganti multa maneant imperspecta & impervia, si negotium regenerationis infantum evolvamus, licet tamen vestigia Scripturæ & clarissimorum in ea oraculorum sequi, & ex illis, quantum Analogia fidei duce & comite asseri potest, deducere ac demonstrare. Atque eo pertinebit Scrutinium præsens de Pœnitentia Infantum, de qua meditandi ansa subnata est, ubi accuratius paulo intueri cœpi Oraculum Joëliticum, quo Propheta divinus una cum Senibus effoetis etiam in congregationem publicam supplicationis causa institutam parvulos & infantes adduci jubet. Illud vero pro viribus ingenii mediocribus Numinis auxilio ita excutiam, ut Sectione Exegetica & Dogmatica omnia sim comprehensurus. Quæ de causa DEVM benignissimum rogo, ut huic cœpto meo ex altis largissime benedicere velit!*

SECTIO